

ARGONAVTICON LIBER I, 531—596

- imposuit; durum vobis iter et grave caeli  
institui. sic ecce meus, sic, orbe peracto  
Liber et expertus terras remeavit Apollo.<sup>’</sup>  
dixit et ingenti flammantem nubila sulco  
derexit per inane facem, quae puppe propinquaque  
in bifidum discessit iter fratresque petivit  
Tyndareos, placida et mediis in frontibus haesit  
protinus amborum lumenque innoxia fundit  
purpureum, miseris olim implorabile nautis. 565
- Interea medio saevus permissa profundo  
carbasa Pangaea Boreas speculatus ab arce  
continuo Aeoliam Tyrrhenaque tendit ad antra  
concitus. omne dei rapidis nemus ingemit alis,  
strata Ceres, motuque niger sub praepete pontus.  
aequore Trinacrio refugique a parte Pelori  
stat rupes horrenda fretis, quot in aethera surgit  
molibus, infernas totidem demissa sub undas., 575  
nec scopulos aut antra minor iuxta altera tellus  
cernitur. illam Acamans habitat nudusque Pyracmon,  
has nimbi ventique domos et naufraga servat  
tempestas; hinc in terras latumque profundum  
est iter, hinc olim soliti miscere polumque  
infelixque fretum (neque enim tunc Aeolus illis  
rector erat Libya cum rumperet advena Calpen  
Oceanus, cum flens Siculos Oenotria fines  
perderet et mediis intrarent montibus undae), 580  
intonuit donec pavidis ex aethere ventis  
Omnipotens regemque dedit, quem iussa vereri  
saeva cohors; tum monte chalybs iterataque muris  
saxa domant Euros. cum iam cohibere frementum  
ora nequit, rex tunc aditus et claustra refringit  
ipse volens placatque data fera murmura porta., 585  
590  
595